Ad praepositionum collocationem quod attinet apud omnes poetas plus minus licentem (cfr. Kuehner lat. Gr. § 113 f. g.), in universum commemoro Propertium similiter ac Tibullum nonnunquam praepositiones aut pronominibus aut substantivis cum adiectivis iunctis postponere, saepissime autem praepositionem a substantivo uno vel pluribus vocabulis insertis disiungere aut praecedente aut subsequente substantivo.

Cum supervacaneum esse existimem longam exemplorum seriem hic enumerare, praepositionum collocationem Propertio frequentem hisce expono versibus: V, 7, 25. „Nec crepuit fissa me propter harundine custos [1])." V, 7, 4 „Murmur ad extremae nuper humata viae [2])." I, 3, 44 (querebar) „Externo longas saepe in amore moras [3])" I, 5, 30, „Alter in alterius mutua flere sinu [4])." IV, 5, 23, „Putris et in vacuo texetur aranea lecto" [5]).

Iam ad ea transeo, quae de periodo Propertiana paucis mihi disserenda sunt.

De periodo Propertiana.

Cum Hertzbergius (qui in quaest. Prop. p. 125 sqq.) de eis rebus, quae ad periodum spectant, hoc est de asyndeto, ellipsi, hyperbato, zeugmate explanatius atque copiosius disseruerit, hanc disputationis partem paucis absolvere potero.

Attamen nonnulla, quae ad verborum compositionem pertinent, summatim hoc loco exponam.

Ac primum illud moneo, Propertium crebro constructioni hypotacticae paratacticam praeferre et coniunctiones causales, concessivas, conclusivas, adversativas omittere, unde „asyndeton" efficitur.

Frequentissime omnium particularum coniunctio causalis deest, potissimum eis locis, ubi sententiam enuntiatam vel exempla vel loci quos vocamus communes sequuntur. Exemplis, quae Hertzbergius (p. 125 sq). de hoc asyndeto, in lucem protulit, addo: II,

---

[1]) cfr. I, 20, 35; II, 6, 38; 8, 24; III, 32, 94; IV, 6, 57.
[2]) cfr. II, 9, 27; IV, 10, 46; V, 7, 29.
[3]) cfr. III, 5, 32; 6, 18; 7, 14; 8, 40; 13, 8; IV, 1, 50; 16, 9; V, 1, 27.
[4]) cfr. II, 8, 5; IV, 5, 14; V, 1, 52; 8, 68.
[5]) cfr. III, 6, 22; IV, 21, 1; V, 6, 30; 70.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

5, 29; 6, 13; III, 1, 6; 7, 13; 11, 16; 12, 3; IV, 1, 64; 6, 72; 13, 22; 15, 10; 14; 30; 16, 3; 5; 22, 8; 24, 20; V, 11, 2; 89; 98.

Particula conclusiva abest: IV, 1, 24; 19, 10; 20, 2; V, 6, 1 aliisque locis.

Deinde etiam particula adversativa saepius omissa est: II, 6, 19; 5, 3; 6, 42; III, 18, 2; IV, 4, 47; 11, 38; 18, 2; V, 2, 6.

Porro haud raro poeta paratactica structura usus est, ubi enuntiatum condicionale (V, 5, 9; 11; IV, 2, 23; V, 2, 22; 31) aut concessivum (cfr. V, 7, 37 sq.) exspectaveris.

Si Tibullum et Propertium comparamus, etiam hac re summam similitudinem intercedere inter eos non negabimus. (cfr. Streifinger de synt. Tib. p. 45).

„Anacoluthon" animadvertimus III, 20, 39 sqq.; IV, 7, 11 sqq.; figuram „syllepsin" II, 6, 10.

Denique frequentissima est Propertio figura ellipsis (cfr. Hertzberg. p. 123 sqq.); inprimis verbum esse supplendum est: I, 2, 23; 3, 7; 9, 1; II, 3, 39; IV, 22, 40 multisque in aliis versibus. (Cfr. etiam I, 6, 10; 13, 1; III, 22, 17; 25, 7; IV, 2, 51; 4, 30; V, 6, 64; 65; 11, 79).

Denique etiam pronomina saepe requiruntur; I, 1, 23 (in acc. cum inf. cfr. Draeg. II. p. 440); I, 1, 28; 3, 30; IV, 17, 12.

His peractis paucas adiungo quaestiunculas criticas, quas in singulas disputationis partes inserere non potui.

II, 1, 30 sqq. legimus: „Aut Ptolomaei litora capta Phari aut canerem Aegyptum et Nilum, cum tractus in urbem, septem captivis debilis ibat aquis".

Baehrensius (misc. crit. p. 83) scripsit: „Et canerem Coptum et Nilum, cum atratus in urbem etc." Lectionem „Coptum" rectam esse existimo, cum codd. AN „cyptum", codd. DV autem „cyprum" praebeant, quod Hertzbergius recepit. Sed utrum Baehrensius „atratus" pro „attractus" (AN) iure posuerit necne, dubito, quamquam „atratus" etiam II, 1, 30 („Solis et atratis luxerit orbis equis") invenitur. Equidem participium „attractus" idcirco aptius esse opinor, quod verbo „trahere" captivos per triumphum ductos esse melius exprimitur.

III, 20, 21 sqq. (II, 25):

„Tu quoque, qui pleno fastus adsumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

An quisquam in mediis persolvit vota procellis,
Cum saepe in portu fracta carina natat,
Aut prius infecto deposcit praemia cursu
Septima quam metam triverit ante rota".

Cur Bachrensius haeserit in verbis „in mediis persolvit vota procellis" eaque ridicula esse dixerit, non intellego. Nam sententia aperta est, ut nemo dubitare possit, quid voluerit poeta exprimere. Vetat enim aliquam rem ante finem bene gestam putari, haec afferens exempla, neminem tam stultum esse, ut, priusquam procellas evitaverit, iam deis vota solvat, neque, priusquam cursum perfecerit, praemia poscat. Unde sequitur lectionem „procellis", quam omnes exhibent libri manuscripti, non solum facile intellegi, sed etiam Baehrensi emendationem „fluentis" a vulgata lectione nimis recedere.

Sequuntur vv. 19—34:

„Tu tamen interea, quamvis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu:
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamvis te persaepe vocet, semel ire memento:
Invidiam quod habet, non solet esse diu."

Sententia horum versuum haec est: „Quamvis felix sis amore tuo, tamen ne gloriatus sis neve aliorum invidiam provocaveris: fortuna enim, cui invidetur, non est diuturna. Unde Hertzbergium, ut codicum scripturam „semel ire memento" fulciret, exempla inepta attulisse II, 33, 43 (III, 31) „Semper in absentes felicior aestus amantes"; II, 14, 20 (III, 6, 20) „Sic hodie veniet, siqua negavit heri"; IV, 5, 30 (V, 5, 30). „Maior dilata nocte recurrit amor" plane elucet.

Baehrensius coniecit „semel ire negato", quam coniecturam etiam minus aptam esse illa Lachmanni „semel ire timeto" existimo. Nam si legimus „negato" aut „timeto" voculam „semel" non solum supervacaneam, sed etiam ineptissimam esse intellegimus. Unde „semel ire" corruptum esse Iacobus rectissime cognovisse et „simulare" emendasse mihi videtur, quod apud Terentium, Ciceronem, Livium interdum sine obiecto notione „sich verstellen" usurpatum occurrit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

An quisquam
Cum saepe in
Aut prius inf
Septima quan

Cur Bachrens
procellis“ eaque ric
aperta est, ut nemc
Vetat enim aliquam
rens exempla, nemi
evitaverit, iam dei
fecerit, praemia pos
omnes exhibent lib
etiam Baehrensi er
recedere.

„Tu tamen in
In tacito cohi
Namque in ar
Nescio quo pa
Quamvis te pe
Invidiam quoc

Sententia horu
tuo, tamen ne gloria
tuna enim, cui invi
codicum scripturam
attulisse II, 33, 43
amantes“; II, 14, 2
heri“; IV, 5, 30 (
plane elucet.

Baehrensius c
etiam minus aptam
Nam si legimus „ne
supervacaneam, sec
„semel ire“ corruptu
lare“ emendasse n
Livium interdum si
occurrit.

solvit vota
n sententia
exprimere.
haec affe-
n procellas
rsum per-
llis“, quam
ellegi, sed
ione nimis

o:

t sis amore
veris: for-
ergium, ut
pla inepta
ior aestus
ua negavit
rrit amor“

oniecturam
“ existimo.
non solum
us. Unde
et „simu-
Ciceronem,
usurpatum

TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

III, 27, 35 sq:

„Apparent non ulla toro vestigia presso,
Signa voluptatis nec iacuisse duos,
Aspice, ut in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus, admisso notus adulterio".

Cum codices optimi „voluntatis" exhibeant, Baehrensius Italorum ingeniosam emendationem „volutantis" iure recepit; nam verbum „volutare" pro „se volutare" poni scimus neque accusativus pluralis in „is" cadens offendit (cfr. Heymann in Prop. quaest. gram. p. 23 sq.).

Sed illud miror Baehrensium „coniacuisse", quod verbum illi aetati prorsus alienum est, scripsisse, quamquam „nec" tertio loco positum etiam aliis locis invenimus; cfr. IV, 22, 28; V, 8, 56.

Itaque versum ita refingendum esse arbitror:

„Apparent non ulla toro vestigia presso
Signa volutantis nec iacuisse duos".

Typis J. Bucher.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf